

rior adhortari ac jubere potest, ac sæpe etiam debet, casu, quo subditus judicialiter denunciare tenetur, ut si delictum vergit in damnum commonitatis, vel tertii, certitudine morali non existente, quod per denuntiationem paternam satisfiat: vel si quidem delictum soli delinquenti nocet, ob rationes tamen, vel circumstantias expedit, ut judicialiter puniatur: quando enim subditus tenetur judicialiter denunciare, utique superior illum suæ obligationis monere potest, et ratione officii debet, teneturque subditus superiori monenti, aut præcipienti morem gerere.

309. V. *In visitatione ordinaria manifestantur delicta excepta. Crimina excepta, quæ?* — V. Si in visitatione ordinaria eidem etiam paterne tantum denuntiantur crimina excepta, vel publica, prout publicum, opponitur privato, quæ videlicet in publicum detrimentum vergunt, qualia sunt 1. Hæresis. 2. Crimen læsæ majestatis. 3. Blasphemia. 4. Crimen sacrilegii, ut sortilegia, et profanationes sacrorum. 5. Latrocinium, et grassationes viarum publicarum. 6. Crimen assassinii. 7. Crimen falsæ monetæ. 8. Simonia, prout amplius probavimus ex jure, lib. II, t. XVIII, a num. 99, et expresse statutum etiam habetur in *Practica nostra Criminal.*, tit. IX, §. Denuntiatio., § 2, et tit. XI, §. Inquisitio, § 7, contra hæc igitur excepta, vel publica per visitationem paternam cognita vitia, judicialiter procedere potest, inquirendo ex officio, etsi nulla infamia, nec denuntiatio, aut accusatio judicialis præcedat, juxta dicta supra § 3, num. 189. Quomodo autem id facere debeat, dicitur infra.

Porro in dicta nostra practica criminali pro ordine nostro seraphico, inter crimina excepta, et publica insuper numerantur conspiratio in generalem, vel provincialem, vel eorum commissarios, aut etiam in superiores locales: eorum item homicidia, vulnerationes, vel percussiones: item subornationes in electionibus, et merito; quia revera singula hæc in damnum commune religionis cedunt. Item peccatis exceptis annumerantur sodomia, et sacrilegium cum monacha. Item fornicationes, et adulteria, casu quo periculum sit, aliquod ex ultimis his duobus delictis publicari posse; siquidem etiam fornicationes simplices, et a fortiori adulteria, si innotescant, a religioso perpetrata, mirum in modum confundunt, et diffamant religionem, eique nocent; conse-

quenter, ubi periculum publicationis eorum est, publicis, et exceptis merito annumerantur: secus si penitus nullum periculum publicationis illorum subsit; tunc enim inter delicta privata reputantur loc. cit., §. Denuntiatio, § 2, ubi licet etiam de sodomia pariter discurratur, tamen tit. XI, §. Inquisitio, § 7, exceptis absolute annumerantur, ad hoc, ita ut contra reos illius sine omni infamia, ac sine denuntiatione, aut accusatione specialem inquisitionem instituere possit superior.

310. VI. *Si adsunt sufficientia indicia criminis ab aliquo commissi.* — VI. Si adsunt sufficientia judicia contra aliquem criminis ab eo commissi juxta dicta num. 185.

311. VII. *Si delictum pergit in damnum tertii, vel communitatis.* — VII. Si delictum vergit in damnum, vel præjudicium communitatis, vel tertii juxta dicta num. 109 et 189.

312. VIII. *Si delinquens apprehenditur in flagranti.* — VIII. Si delinquens apprehenditur in flagranti, per dicenda infra a num. 560.

Ex quibus patet, quod superior persæpe possit, ac sæpe etiam debeat instituere processum criminalem occasione visitationis ordinariæ.

§ VII.

DE PROCESSU CRIMINALI REGULARIUM, SIMULQUE DE ORDINE, ET PRAXI EJUSDEM; PRÆSERTIM IN RELIGIONE NOSTRA SERAPHICA.

313. *In processu criminali regularium non omnia servantur, quæ in processu aliorum.* — Quæritur I. An ordo et ea cuncta, quæ in jure communi de processu criminali, ac pertinentibus ad eum statuta sunt, servari etiam debeant in processu criminali regularium? Resp. Negative. Communis et certa, arg. c. *Qualiter et quando*, 24, § fin., h. t. ibi: «Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum.» juncto c. *Olim*, 26. Eod.

314. I. *Est enim tantum processus summarium.* — Quæritur II. Quænam processus criminalis regularium specialia habeat? Et quæ in illo omitti, aut necessario observari debeant? Resp. I. Processus criminalis regularium plura habet specialia, pluraque in eo omitti possunt. Nam primo is non ordi-

narius, sed tantum summarium est, in eoque non nisi simpliciter, et de plano proceditur, c. *Olim*, 26, h. t., ubi mandat Papa, ut procedatur de plano, et absque judiciorum strepitu. Ratio ibidem subjungitur illis verbis: «Cum talibus non deceat servos Dei involvi.»

315. II. *Non necessario observantur apices juris.* — Et ideo secundo non sunt necessario observanda, sed omitti possunt apices, solemnitates, et rimuli juris: Cujusmodi sunt citatio rei, de non feriatâ, libelli porrectio in scriptis, litis contestatio, testium multitudo, prolixæ dilationes, sententiæ sedendo prolatio, citationum intervalla, interlocutoria, etc., prout bene refert practica nostra criminalis tit. VII, quam formam juris, § 2, et patet ex *Clem. sæpe contingit.*, de *Verb. signif.*, uti Papa declarat, quod quando summarie seu simpliciter, et de plano proceditur, hæc necessario servari non debeant.

316. III. *Prælati regulares facilius amoventur.* — Tertio. Quod prælati regulares facilius, quam prælati sæculares amoveri possint a suis administrationibus, levioresque ad id causæ, ac probationes sufficiant, arg. cit. c. *Qualiter, et quando*, 24, § fin. h. t. ibi: «Quæ (personæ regulares) cum causa requirit, et liberius a suis possint administrantibus amoveri.»

317. IV. *In illo non communicantur nomina testium: et quid apud nos de hoc?* — Quarto. Juxta communem doctorum uti videre est apud Engel, h. t., num. 27, etiam illud speciale habet processus regularis, quod depositiones quidem, non vero nomina testium reo communicari possint, ac debeant: idque probare nituntur ex c. *Qualiter et quando*, 24, h. t., ubi licet præceptum sit: «Non solum dicta sed etiam nomina testium sunt ei (reo videlicet) ut quid, et a quo sit dictum, appareat publicanda,» tamen ad finem additur clausula limitans supra jam allegata: «Hæc tamen ordinem circa personas regulares, non credimus usquequaque servandum.» Rationem dant; quia si nomina testium publicarentur, periculum esset discordiæ, inimicitiae, et aversionis animorum, quæ apud regulares ut octo vitandæ sunt. Verum hæc quantumvis communis doctrina non videtur vera, utpote necessariæ defensionis rei jure naturali debitæ contraria, prout solide demonstrat Ludovicus de Ameno a numer. 36, ubi e contra absolute docet, etiam in processu regularium tam

nomina, quam dicta seu depositiones testium esse communicanda reo. Cui tamen absolute adhærere etiam non possumus, sed media via, et tam naturali quam positivo communi, et municipali juri conformiter in hoc puncto incedemus juxta dicenda infra a num. 321.

318. V. *Potest formari juxta statuta, et consuetudinem cujusvis ordinis.* — Quinto. Illud etiam speciale habet processus regularis, quod formari valeat juxta rationabiles consuetudines, et statuta generalia cujusvis ordinis, prout a Bonifacio VIII, Dominicanis et per consequens etiam aliis communicationem privilegiorum habentibus concessum fuit in constitutione, ad augmentum, quæ est quarta dicti pontificis in 1 tom. Bull., ibi: «Ad correctiones et punitiones fratrum rimulis, et apicibus juris postpositis, libere procedere valeant secundum consuetudines approbatas, et generalia facta, vel etiam facienda ipsius ordinis statuta.»

319. *Tenantur nihilominus regulares in processu criminali observare essentialia juris, et quæ ad defensionem ac probationem faciunt.* — Resp. II. Quamvis juxta dicta regulares in formandis suis processibus criminalibus non teneantur ad apices et solemnitates juris, possintque excluso ordinario processu summarie ac de plano procedere, tenentur nihilominus ad essentialia juris, et ad ea quæ ad probationem, vel defensionem requiruntur aut faciunt, ac quæ sunt de substantia processus summarii. Communis ac certa. Ratio est; quia regulares in puncto processus non omnino seu totaliter, sed aliquantum solummodo eximuntur a jure communi, in tantum nempe, in quantum non usquequaque tenentur ad processum ordinarium, juxta solemnitates et apices juris, sed possint procedere summarie, seu de plano et simpliciter, arg. cit. c. *Qualiter, et quando*, h. t., et c. *Olim*. eod. atqui etiam ad processum summarium, in quo de plano ac simpliciter proceditur, requiruntur essentialia juris, debentque necessario servari illa omnia, quæ ad probationem, vel defensionem requiruntur, aut faciunt, arg. *Clem. sæpe contingit. de Verb. signif.* ubi Papa postquam declaravit, quid sit de plano procedere, et quæ in tali processu possint omitti, explicavit, statim subjunxit: «Non sic tamen iudex abbreviet, quin probationes necessariæ, et defensiones admittantur. Citationem vero, et præstationem juramenti de calumnia vel

malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem hujusmodi (procedendo de plano) intelligimus, non excludi.»

Infertur proin, ea quæ in libro II, de Foro competenti, et Testibus, de Probationibus, et Fide instrumentorum, etc., diximus, sicut et alia, quæ, et in quantum ad probationem et defensionem, veritatemque eruendam, ac juste judicandum faciunt, aut requiruntur, etiam in processu regularium observari debere.

Ut autem etiam in specie sciatur essentialia, seu necessaria juris requisita ad processum regularem, aliqua saltem, tamen nonnisi compendiose, et remissive adducemus.

320. *Quenam in specie observari debeant?* — Itaque etiam ad processum criminalem regularem necessario requiritur I. Ut nullus instituat sine prævia legitima accusatione, vel denuntiatione judiciali, vel infamia aut indicis, aut aliis vices accusatoris agentibus, et causam inquirendi ex officio præbentibus, vel exceptione. Ratio est, quia substantiale juris est, ne idem simul sit accusator et judex, contra vulgaria juris.

II. Ut adsit judex competens, per dicta II, tit. I. et II.

III. Ut libellus sive in scriptis, sive ad protocollum detur, habeat necessaria requisita juxta dicta supra n. 8.

IV. Ut inhabiles ad accusandum, vel denuntiandum non admittantur per dicta a n. 15 et n. 83.

V. Ut notarius publicus pro actuario adhibeatur.

VI. Ut tam accusator, quam denunciator adigantur ad præstandum juramentum calumniæ. *Clem. sæpe contingit. de Verb. Signif.*

VII. Ut testes tam pro, quam contra reum nonnisi præstito juramento calumniæ audiantur. arg. cit. *Clem. de Verb. Signif.*

VIII. Ut reus legitime citetur, et inauditus nisi contumax non condemnetur.

IX. Ut tempus sufficiens ad probationes et defensiones concedatur.

X. Ut reo articuli, aut saltem dicta testium pro sua defensione communicentur, arg. c. *Qualiter, et quando, h. t.*

XI. Ut reo petenti consiliarius peritus, seu patronus idoneus tanquam advocatus concedatur.

XII. Ut justæ rei exceptiones admittantur,

testesque ab eo nominati, super interrogatoriis, vel articulis ab eo juste propositis legitime examinentur.

XIII. Ut reus non nisi confessus, vel convictus ad pœnam ordinariam condemnetur.

XIV. Ut sententia secundum allegata et probata, juriq; conformiter, et quidem judice præsentate legitime feratur, et publice per dicta lib. II, tit. *De sententia et re judicata.*

XV. Ut appellationes justæ, non item frivolæ, aut frustratoriæ admittantur juxta dicta lib. II, XXVIII, de *Appellat.*

XVI. Ut ordinis statuta circa processum criminalem præscripta serventur.

Hæc et plura alia ad probationes et defensiones, eruendamque veritatem a jure præscripta, etiam in processu regulari necessario observari debent; de quibus amplius suo loco. Nec in his est aliqua controversia inter doctores; bene vero controvertitur, num reo una cum articulis et depositionibus testium, etiam nomina accusatoris, vel denuntiatoris judicialis, ac testium in processu regularium sint communicanda? pro cujus decisione sit specialis etiam conclusio sequens.

321. *Nomina accusatoris et testium non semper manifestanda sunt reo etiam petenti.* —

Resp. III. Non quidem semper, sed tamen in omni, et solo illo casu præter articulos et depositiones testium, etiam nomina eorum sicut et accusatoris, vel denuntiatoris judicialis reo petenti communicari debent, quando judex ipse vel positive censet, notitiam dictorum nominum reo pro defensione servire posse; vel quando saltem non apparet, quod eidem talis nominum notitia ad defensionem nullatenus serviat, et consequenter justitia nullatenus patiatur, etsi illi nomina non manifestentur. Prima pars conclusionis, quod non semper communicari debeant nomina accusatorum et testium, est communissima doctorum, utpote universaliter et absolute volentium, quod nunquam, et per consequens a fortiori non semper communicari debeant. Est tamen contra Ludovicum de Ameno in *Practica sua criminali*, tit. *Patronus*, XX, § IV, universaliter docentem, quod reo petenti non tantum articuli, et depositiones, sed etiam nomina accusatoris et testium sint communicanda: probatur autem conclusio nostra ex cit. c. *Qualiter, et quando, 24, § fin., h. t.,*

ubi post dispositionem communem de communicandis reo nominibus testium, expresse dicitur: «Hunc ordinem circa personas regulares non credimus usquequaque esse observandum:» ubi notandus terminus usquequaque, id est non omnia, in omni casu, sed tantum, in quantum ad probationes et defensiones, eruendamque veritatem, et justitiam rite administrandam necessaria et conducentia sunt.

322. *Probatur.* — Ratio est, quia jura hoc ipso, quod disponent, regulares in suis processibus non teneri ad apices et rimulos, nec ad communem, et ordinarium processum juris, sed posse summarie procedere, simpliciter et de plano, arg. c. *Qualiter, et quando, 24, et c. Olim. h. t.,* voluerunt, ut lites apud illos pro possibili abbrevientur, et consequenter omittantur, et amputentur, quæ nec ad essentialia juris, nec ad defensionem vel probationem, eruendamque veritatem spectarent; hoc enim importat procedere summarie, et de plano, juxta dicta superius, argument. cit. *Clement. sæpe contingit. de Verb. signif.* ibi: «Litem quantum poterit, faciat brevior;» atqui sæpe contingit, evidenter constare, quod communicatio, seu publicatio nominum testium, reo ad defensionem suam minime serviat; facta autem litem inutiliter protrahat, utpote ansam præbens, ut reus omni nisu etsi frustraneo conetur, quatenus contra testes quid exceptione dignum afferat, etc., ergo non semper, nec ordinarie fieri debet. Major caret controversia.

Minor patet experientia multiplici docente, sæpe constare ex processu, crimen de quo quis accusatus, denunciatus, aut inquisitus existit, plene esse probatum per testes omni exceptione ita majores, ut evidenter appareat, reum nihil posse excipere contra illos, consequenter eidem pro sua defensione minime servire, si nomina testium eadem communicentur; ergo in hujusmodi casibus talis nominum publicatio, utpote inutilis, et non necessaria, omitti potest arg. cit. *Clem. sæpe contingit. de Verb. signif.* Idem videtur esse in casu, quo ex processu constat, quod, uli sæpe fit, reus crimen jam sit confessus; profecto enim non apparet, ad quid serviat, si ei in tali casu communicentur nomina testium; cum, etsi contra illos legitime excipere posset, nihilominus ex propria confessione condemnaretur. Hinc in hujusmodi casibus judex

reo petenti manifestationem nominum negare potest, eumque assecurare, quod non fiat ex injuria; cum evidenter pateat, non posse fieri utilem aliquam exceptionem contra testes.

323. *Confirmatur.* — Confirmatur. Jura concedendo regularibus processum summarium et de plano, voluere præter litem abbreviationem, specialiter etiam consulere paci, et concordie regularium, et consequenter ea cuncta amputare, quæ ansam discordiarum, aversionum, rancorum et inimicitiarum præbere possent, c. *Olim, h. t.* dummodo salva necessaria probatione, et defensione, salvaque justitia omitti queant, arg. cit. *Clem. sæpe contingit. de Verb. signif.* atqui certum est, ansam et periculum esse discordiarum et aversionum inter regulares, si nomina accusatorum, et testium reis manifestarentur; ergo talis manifestatio omitti potest saltem in casu, quo ad probationem, et defensionem minime necessaria appareat; uti juxta dicta num. præced. sæpe contingit.

324. *Solvitur instantia.* — Nec faciunt contra hanc conclusionem, quæ loc. cit. adducit Ludovicus de Ameno; quia tantum probant, debere reo communicari nomina testium, et accusatoris, quando talis manifestatio ei servire potest pro defensione, aut quando certo non constat, inutilem esse talem communicationem quod etiam nos concedimus, non item universaliter, seu in omni casu et semper, quod negamus.

325. *Debent autem manifestari reo petenti, quando id servit ad ejus defensionem, aut quando certo non constat, id reo ad nihil servire.* — Altera pars conclusionis, videlicet, quod tunc saltem reo communicari debeant una cum articulis, et depositionibus, etiam nomine accusatoris, vel denuntiatoris, ac testium, quando ei pro defensione servire possunt, aut quando certo non apparet, talem manifestationem esse pro defensione rei prorsus inutilem, est contra communem doctores absolute volentium, dicta nomina nunquam manifestari debere reo apud regulares. Eam tamen efficaciter tuetur Ludovicus de Ameno in *Practica criminali*, cit. tit. *Patronus*, 20, § 4, hoc ipso, quod ibidem doceat, dictam manifestationem semper fieri debere, quod etiam docet Rodriguez, t. II, q. 16, a. 1, in fine.

326. *Probatur efficaciter.* — Probatur ergo hæc pars conclusionis. Defensio competit

reo jure naturali, per vulgaria; ergo quæ ad illam servire, et facere possunt, sunt eadem juræ naturæ concedenda; atqui sæpe reo servit pro defensione sua, si habet individua cognitionem testium: sæpe enim contingit, quod testes non sint omni exceptione majores, contra quos proin legitime excipere, sicque defendere se potest reus, juxta dicta lib. II, tit. XX, *de Testib. et Attest.*, præsertim si est inimicus rei; inimicitia siquidem reddit inhabilem testem, et annullat in quacunq̄ causa etiam criminum exceptorum, juxta dicta cit. lib. II, tit. XX, § 5, num. 133. Item ex hac cognitione personarum testantium reus se subinde defendere potest ostendendo, aut probando v. g., testem tunc temporis non fuisse in loco, ubi deponit, se delictum vidisse. Pariter excipere potest contra accusatorem, vel denuntiatorem, ostendendo v. g. ipsum esse inhabilem ad accusandum, juxta dicta a n. 16. Quibus, et aliis hujusmodi defensionis mediis plane privatur reus, si nomina præfata eidem non manifestantur; quomodo enim contra personam testis, vel accusatoris excipere, et se defendere potest, si ignorat, quis eum accusarit, aut quis contra illum testatus sit.

Nec quidquam in contrarium probat, quod communis doctorum pro se allegat c. *Qualiter, et quando*, § fin., h. t., ubi ab ordine juris eximitur processus regularium, illis verbis: « Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum. » Nam contra est, quod per hunc textum, uti patet, non usquequaque, id est, non universaliter et simpliciter, nec semper et pro omni casu eximantur a juris ordine in eodem capitulo antecedenter præscripto, sed tantum a rimulis, apicibus, et solemnitatibus juris, non item ab essentialibus ejusdem, nec ab iis, quæ ad probationem, et defensionem requiruntur; consequenter nec a publicatione nominum testium, casu quo ad defensionem rei servit, prout sæpe contingit.

327. *Satisfit objectionibus.* — Nec quidquam probat ratio, quam communis doctorum pro sua opinione allegat, dicendo, ex tali manifestatione denuntiatoris et testium sequi periculum discordiarum, et aversionis animorum inter regulares. Nam contra est, quod magis sit cavendum periculum injustitiæ, et ne innocens carens defensionis mediis damnetur, et ne quivis honestus vir a

malignis detractoribus, et testibus colludentibus ab omni manifestationis periculo semper securis inique deferri et diffamari valeat, quam periculum discordiarum. Imo etiam respectu ipsorum accusatorum, denuntiatorum, et testium, « periculum discordiæ, quod eis evenire potest, levius est audacia, quam ex subticendis dictis, et nominibus eorum sumere possent ad false, confuse, temereque deponendum, » ut bene advertit Rodriquez, t. II, *Quæst. regul. quæst. 16, a. 1, in fine.* Hinc sufficere debet accusatoribus, denuntiatoribus, et testibus, quod nomina eorum non manifestentur, casu quo evidenter apparet, talem manifestationem reo pro defensione non esse necessariam, nec servire, prout dicit prima pars conclusionis.

328. Dices, si apparet exceptio contra accusatorem vel testes, potest et debet ipse judex ex officio illos repellere juxta dicta lib. II, tit. XX, *de Testib.* § II et III, ergo non est necesse, nec expedit, ut cum periculo discordiarum nomina manifestentur reis. Resp. Sæpe contingere, quod una, vel alia inhabilitas aut causa exceptionis contra accusatorem, vel testes lateat, et abscondatur, indeque judex eam ignoret, et consequenter ex ignorantia invincibili eas probabilibus admitat; reus e contra hujusmodi inhabilitatis, vel causæ excipiendi notitiam forsitan habeat, aut habere possit; præsertim cum in causa tanquam sibi propria magis quam judex indagare, et eam examinare censeatur; consequenter defensio jure naturæ debita requirat, ut, si judici evidenter non appareat, accusatorem, et testes esse omni exceptione majores, nec quidquam servire reo, etsi eidem nomina præfata manifestentur, illa eidem pro sua defensione manifestet.

329. *Sæpe debent reo manifestari nomina accusatoris et testium.* — Ex quo infertur, quod cum persæpe judex evidenter et certo scire non valeat, an non accusator, denuntiator, vel testis occulta inhabilitate, vel causa exceptionis laboret, eamque ipse judex ignoret, reus vero forsitan sciat, et consequenter contra eum excipere, sicque defendere se valeat, profecto persæpe etiam dicta nomina reo petenti manifestanda sint.

330. *Si reus non petit, non est necesse ei manifestari nomina præfata.* — Dicitur autem notanter in conclusione n. 321, posita: reo petenti communicari debent nomina, quia si non petit, non est necesse, ut eidem

tradantur, uti loc. cit., n. 59, post Clarum bene docet Ludovicus de Ameno.

331. *Concordat nostra practica criminalis.* — Conclusio n. 321, posita et hactenus probata quoad utramque partem videtur plane conformis practicæ criminali ordinis nostri, ubi cit., tit. *Patronus*. XX, § 4, ita statutum habetur: « Nomina vero accusatorum, et testium nullo modo reis vel petentibus, vel non petentibus communicanda sunt, nisi ubi, et quando eorum judicio in oppositione alienjus gravis, et infamatorii criminis justitia periclitaretur; nam eo casu, si reus petat accusantium, et testium nomina sibi notificari, non est ei denegandum. » Subjungitur dein consilium bonum per modum cautelæ illis verbis: « Poterit tamen judex ea uti cautela, ut testium nomina a depositionibus separata assignet. Melius etiam futurum credimus, si in casu, quo innocentia detrimentum pateretur, ex suppressione nominum accusatoris et testium, quod judex in sua aula ostendat processum patrono, vel procuratori rei, eumque diligenter lustrari faciat, imposito præcepto, et exacto juramento, de servando secreto talium nominum publicationem, remittitur tamen pio et prudenti judici alterutrum reis exhibere, prout timor Dei, fraterna charitas, et justitiæ defensio suaserit.

Hæc dispositio, ut patet, idem plane vult, quod conclusio nostra, videlicet, quod reo etiam petenti nomina accusatorum et testium non sint manifestanda, nisi alias justitia periclitaretur; quod idem est, ac dicere, non semper sunt manifestanda, sed tunc tantum, quando horum notitia reo ad sui defensionem servire forsitan potest; quia si tali casu negaretur, justitia utique periclitaretur ex eo, quod denegarentur reo media defensionis debita jure naturali juxta dicta.

332. *Respondetur ad declarationem Ludovici de Ameno.* — Ludovicus de Ameno suam sententiam manutenere voleas, conatur quidem hunc textum explicare dicendo, eum loqui de casu, quo civiliter, et non criminaliter agitur, contra regularem vel de casu visitationis ordinariæ. Verum cum venia tanti viri loquendo, hæc explicatio videtur potius torquere textum, quam sensum ejusdem aperire; nam ex rubrica practicæ evidenter patet, quod in ea sit sermo de criminali processu, et non de civili, nec in præfato textu esse possit sermo de visitatione

ordinaria, utpote quæ est inquisitio generalis et paterna nullum requirens, aut supponens verum accusatorem, reum, et testes, de quibus tamen ibi loquitur textus.

333. *Pro ordine nostro extra præscripta specialis practica criminalis plane insignis, juri que communi fere per totum conformis.* — Quæritur III. An, et quæ specialia habeantur, circa processum criminalem in ordine nostro seraphico? Resp. Quamvis habeamus in ordine nostro specialem practicam criminalem, juxta quam vi statutorum generalium, cap. x, § 4, numer. 11, sub pœna nullitatis formare debemus processus criminales, tamen præfata nostra practica criminalis fere in omnibus conformis est juri communi, utpote ex eodem compendiose collecta, adeo, ut quæ de jure communi circa criminales processus regularium disposita, et concessa inveniuntur, etiam in memorata practica contineantur, paucis, quæ specialiter pro ordine faciunt, exceptis, prout patet ex titulo, seu rubrica allegatæ practicæ ita sonante: « Practica criminalis ad sancte administrandam justitiam in ordine fratrum minorum S. Francisci regularis observantiæ juxta præscriptum statutorum generalium, ex sacris canonibus, et probatis auctoribus compendiose collecta, generali capitulo romano 1639 probante, et mandante. »

334. *In eam clare et solide commendatus est P. Ludovicus de Ameno.* — Et licet practica hæc criminalis juri conformis sit, solida, clara, et plane insignis, tamen quia etiam compendiosa est, et fere in cunctis notitiam juris communis supponens, glossam et commentarios desiderabat, hoc ipso, quod non omnes judices regulares æqualem jurium notitiam habeant, et vel ideo memoratam practicam sufficienter non penetrant. Hinc Ludovicus de Ameno reformatæ provinciæ Trident. lector emeritus, vir profunde doctus, et maxime expertus, in practicam præfatam glossatus, et commentatus est, edendo integrum tomum in folio (cui titulus, practica criminalis illustrata, etc.) in quo prius semper ponit textum practicæ criminalis, dein eum explicat et declarat, practicisque quæstionibus, mira que claritate, et soliditate pro praxi rem totam ita ad captum proponit, ut vix aliquid amplius desiderari possit. Quapropter etiam capitulum generale Victorienense statuit, ut dictum auctorem in posterum sequerentur judices nostri regulares informandis processibus criminalibus; prout

videre est in statutis memorati capituli generalis fol. 39.

335. *Cujus commentarii iudicibus regularibus cunctis, imo et saecularibus plurimum servant.* — Porro supradicta Ludovici de Ameno practica criminalis illustrata, ita est composita, ut non tantum nostræ, sed etiam aliarum religionum superioribus et iudicibus, imo etiam saecularibus iudicibus apprimè serviat. Invenitur etiam in compendio sanctorii de Melphi ad finem.

§ VIII.

COMPENDIOSA ET CLARA INSTRUCTIO PRACTICA RITE FORMANDI PROCESSUM CRIMINALEM APUD REGULARES, PRÆSERTIM IN ORDINE NOSTRO SERAPHICO.

336. *Causa tradendi hanc instructionem, et modus scribendide illa.* — Quamvis juxta dicta § præced. pro ordine nostro pulcherrima jam extet practica criminalis, et insigniter in eam practica simul et theorice commentatus sit Ludovicus de Ameno, nihilominus quia memorata practica, utpote municipalis, non pro quavis religione plene quadrat, nec pro quovis iudice ordinis etiam nostri sufficit, et insuper commentarii dicti Ludovici de Ameno valde prolixi sint, ita ut superiores et iudices ob temporis angustias, et negotiorum copiam ea, quæ pro servando debito juris ordine et forma, scitu necessaria, vel utilia, sunt, legere et conquirere non semper possint; consultum iudicavimus, compendiosam hic annectere instructionem, eamque ita simplicem et claram, ut quivis etiam minus peritus in jure facile scire valeat, quomodo in religione processum criminalem a principio usque ad finem instituere possit, ac debeat.

337. *Adjungitur integer processus formalis criminalis: et quomodo?* — Pro cujus majori claritate facilitate integrum adjungimus processum formalem, ut in jure minus peritus, vel in causa criminali minus expertus iudex in exemplo videre valeat, qualiter instructio hæc practica in praxin actu deducatur. Processui huic formali immiscentur breves instructiones practicæ, ita tamen, ut hæc litteris typi ordinarii, ipse autem processus litteris cursivis exprimat, quatenus qui desiderat aliquem processum integrum rite formatum, quasi ex protocollo legere, id habere possit; dummodo omissis iis, quæ ordinariis

typi litteris exprimuntur, legat ea, quæ litteris cursivis (uti vocantur) comprehenduntur. E contra qui de quavis parte processus compendiose instrui cupit, instructionem practicam cujusvis annexam ad manus habeat. Ubi tamen benevolum lectorem monitum volumus, quod, quia non pro doctoribus in jure, vel bene practicatis, sed pro minus peritis in jure, minusve expertis in causa criminali, et quidem non nisi compendiose hæc scribimus, simpliciter tantum, et breviter incedamus, nil vel parum exjure, vel doctoribus simul allegaturi, probaturi, aut dicturi, doctrinam tamen securam tradituri, ejus probationes, et fundamenta aliunde supponentes, præsertim ex lib. II, titulis v. g., *de libelli oblatione, de juramento calumnie, de dolo, et contumacia, de confessis, de attestationibus, de fide instrumentorum, de præsumptionibus, de exceptionibus, et sententia, et re judicata, de appellationibus, etc.*

Et quia nihilominus § præsens valde longus erit, illum in plures sub § dividemus, cuivis rubricam et summarium addentes pro majore claritate.

Cæterum lector ob prolixitatem hujus § non terreatur; quia dum processum active, vel passive habet, non est necesse totam hanc materiam simul legere, sed sufficit, et proposito suo satisfaci, si unum sub § post alium, semper nempe illum legat, de cujus objecto pro tempore agere habebit, ordinem et seriem videbit ex elencho ad initium libri posita.

338. *Processus criminalis ordinariè institui nequit sine præcedente accusatione, vel denuntiatione, vel exceptione, vel infamia, indicibus, aut aliis causam præbentibus processum ab inquisitione formandi.* — Sciendum itaque imprimis, et bene notandum, quod cum ordinariè processus criminalis non nisi quadruplici via institui queat, videlicet vel media accusatione, vel denuntiatione judiciali, inquisitione, vel exceptione, iudex processum instituere non debeat, nec possit, si nemo accusat, vel judicialiter denuntiat, nec adest infamia, vel indicia, aut alia ad inquirendum requisita, juxta dicta supra § præced.

339. *Nisi crimen sit notorium, aut in flagranti deprehensum.* — Dicitur autem ordinariè; quia in dictis sine ordine puniendis, notoriis nempe, et in flagranti deprehensis, nec accusatio, nec denuntiatio, nec fama requiritur per dicta supra § 3. Hoc notato praxin procedendi, et ipsum processum pro

quovis ex prædictis modo, seu via subjungemus, præfixa cuivis modo, et partibus ejus, rubrica majoris claritatis gratia.

DE PRAXI FORMANDI PROCESSUM VIA ACCUSATIONIS INSTITUTUM.

340. *Si per accusationem instituitur processus, debet accusator prius iudici ordinario offerre libellum, vel ei insinuare, quod accusare velit.* — Quæritur I. Qualiter in praxi institui, et formari debeat processus criminalis per modum vel viam accusationis? Resp. per viam accusationis processus apud regulares taliter instituitur. Imprimis requiritur, ut adsit accusator iudici ordinario (qui apud nos provincialis) libellum accusationis debite formatum juxta exemplar, n. 334, præsentem offerat, vel absentem mittat. Potest autem etiam accusator, si vult, prius, id est, ante libelli oblationem oretenus, vel per litteras iudici insinuare, quod reum aliquem de certo crimine accusare intendat; idque adeo, ut iudex ordinarius se præparare, et notarium, ut pro actuario inserviat, creare, et deputare (nisi jam aliquis adsit; prout in pluribus provinciis sunt secretarii provinciarum) cum eoque vel ipse in persona, vel per delegatum rite, ac judicialiter inchoare valeat processum.

Accepto libello, vel insinuatione accusationis percepta iudex ordinarius debet citare vel vocare accusatorem, tum ut coram se, vel coram delegato libellum personaliter offerat: tum ut juramentum calumniæ, vel potius malitiæ præstet juxta dicenda infra n. 349.

341. *Dein liberum est iudici ordinario, an per se, vel delegatum instituere velit processum. Quinam et quomodo delegari possint, aut debeant?* — Si per iudicem delegatum processum instituit iudex ordinarius, debet ei forma debita suam jurisdictionem per scriptas patentes delegare, ut iisdem legitimare se valeat delegatus, et ipsa delegatio actis inseri queat. Ubi attendendum, ut non nisi de iure qualificatus delegetur: quasnam vero qualitates delegandus habere debeat in ordine nostro, habetur in practica criminali, tit. I, quid iudex, et ibi Ludovicus de Ameno. Solum notandum, quod apud nos guardianus non possit delegari ab provinciali, nisi gaudeat qualitatibus, loc. cit. requisitis. Porro, in patentibus delegativis debet ordinarius exprimere, an usque ad sententiam

definitivam inclusive, vel exclusive jurisdictionem deleget. Forma autem delegandi potest esse sequens, vel similis, quam habet Ludovicus de Ameno in *Formular. criminal.*, sect. 2, num. 46.

Nos F. N. Minister Provincialis dilecto nobis in Christo R. P. N. N. salutem in Domino, qui est vera salus.

«Exigit muneris nostri ratio, exacta boni pastoris diligentia, omnem curam ovilis a Deo nobis commissi habere, ita ut oves nostræ custodiæ demandatas, non solum suavi exhortationis sibilo ad salutis pascua dirigamus, et virtute deficientes medicinalibus correctionibus sanemus, sed etiam devias a semita rectitudinis, et per culparum prærupta errantes adhibita rigoris virga ad caulam reducamus. Cum igitur ex accusatione coram nobis producta, vel ex denuntiatione judiciali oretenus, vel per litteras, quas hic accludimus nobis facta, vel ex fama ad nos delata, non sine animi mœrore intelleximus, F. N. in conventu N. de familia commorante, diabolo instigante commisisse, etc. (Hic recensentur delicta rei processandi) nos vero officii nostri gravissimis negotiis implicati, judicialem indaginem debitam personaliter instituere non valeamus, cogimur hoc munus alteri delegare. Tibi ergo, cujus prudentia, jurium peritia, rerum criminalium praxis, ac junctus discretioni zelus nobis abunde sunt perspecta, provinciam nostram duximus, demandare; prout harum serie te iudicem nostrum delegatum constituimus, tibi que committimus, ut assumpto tibi bene viso socio, et actuario (quam prius in notarium debite crees) ad memoratum conventum te conferas, et super præfato delinquente ac delictis ejusdem processum criminalem usque ad sententiam definitivam exclusive, vel inclusive instituas; pro quo omnem nostram facultatem ac potestatem necessariam, et opportunam delegamus. Proinde omnibus, et singulis dicti conventus præcipimus, ut te tanquam iudicem nostrum delegatum recipiant, et agnoscant, atque in hac causa, ac spectantibus ad eam, tibi ut nobis obediant sub pœnis per constitutiones nostras contra rebelles et contumaces latis. Datæ. — Ego F. N. minister provincialis.»

342. *Delegatu ante omnia quid facere debeat?* — Delegatus, si format processum, de-